

V c
1848



AD ILLVSTRISSIMVM PRIN-
cipem Ioannem Fridericum Ducem Saxoniae,
Elegia.

Epicedia duo.

In mortem Diui Friderici principis Electoris Du-
cem Saxoniae.

In Guilielmũ Nesenum qui in traiectu Albis perijt.
Cur hoc tempore studia literarũ tanto contemptu
habeantur, Idyllion ad Philippũ Melanchthonem.

Authore Eobano Hefso.

Lectori.

Qui legis hæc, Si quis tamen hæc legis, esse putato
Sicut ab immodico pauca resecta penu
Vberiore fluet posthac tibi Copia cornu
Munera quæ timida vix dedit ista manu.

Noribergæ 1526.



EOBA. HES. PHILIPPO ME
LANCHTHONI SVO.



Armina polliciti tibi mittimus ista Philippe
Cui mea nunc etiam constat, ut ante, fides,
Hinc ubi Pegnesi ripas pulcherrima claudunt
Arboribus tempe consita littoreis
Hinc ubi tu nuper nostras considerare Musas
Iussisti, & placidæ pacis honore frui
Accipe qua mea fronte soles reliqua omnia, verè
Dum legis, hæc aliquem dicere verba puta
Libera qui tribuit melioribus omnia Musis
Ista fere nullo tempore scripta dedit

Nurenbergæ Kalendis Augusti
M D XXVI.



AD ILLVSTRISSIMVM PRINCE-
PEM IOANNEM FRIDERI-
CVM DVCEM SAXONIAE
ELEGIA EOBANI HES-
SI. SCRIPTA AN-
NO M. D. XXII.

Nelyte dux claræ genus alto a sanguine regum
 Qui patris & patruï nobile nomen habes.
 Patris Ioannes, patruï Friderice potentum
 Quos inter diuos sæcula nostra locant
 Hæc age, pacifico Iuuenis dignissime sceptro
 Hæc age placata Carmina fronte vide
 Quæ tibi non aliquo, qui fallat lumina, fūco
 Pingimus, aut leuibus ceu rapienda Notis
 Sed magis ex animo tibi quo clarissime princeps
 Nullus in hoc populo iunctior esse potest
 Misimus ergo rudes animo dictante Camœnas
 Nec breue, nec tantum temporis huius opus
 Nam licet hæc breuibus claudatur epistola verbis
 Longa tamen series posteritatis erit
 Cui tua perpetuum virtus memoranda sub æuum
 Mittitur hoc quali carmine cumq; meo
 Vt tu ceu primis claros Heroas ab annis
 Indole præclara vincis & ingenio
 Sic tua nobilior te digno munere virtus
 Et fieret famæ clarior aura tuæ
 Quæ tibi ab hac certe pulcherrima parte futura est

a ij

Qua chorus ante alios prodiga turba sumus
Nectamen in quemuis, nisi em̄ dignissima Musæ
Non celebrant, virtus hoc dare sola potest
Quæ qm̄ æquales tibi contigit inter ephebos
Quam stupeat posita flauus apollo lyra
Digne cani Iuuenis centum per carmina linguis
Non debes meriti laude carere tui
Ne tua præclaris tot dotibus aucta Iuuentus
Virtutis possit non meminisse suæ
Quæ nisi seipsam acuat stimulante cupidine laudum
Sæpe velut languens excidit ipsa sibi
Quod tibi ne timeas princeps animose futuræ
Plurima sunt quæ te cõmonuisse queant
Fulget imaginibus primum domus inclyta, quæ te
Regibus eduxit nobilitate parem
Clara ibi maiorum cum contemplabere facta
Dignus vt huic generi, cura erit, esse queas
Inde tuæ gentis primis heroas ab annis
Illustres tanta laude stupebis auos
Totq; Duces inter clarissima nomina summo
Summa loco Ernesti gloria stabit aui
Innumerabilibus quo non fuit alter ab annis
Principe consilijs Iusticiaq; prior
Ad te iterum redeo sanguis clarissime, cui non
Par superis patru gloria nota tui est?
Ingentis quem nõ Friderici nomen in orbem?
Quo non fama abiit? quoue sub axe latet?
Romani Imperij qui nũc Septemuir honorem

211
Gaudet, & amissum restituisse decus
Rara illi poterunt conferri exempla priorum
Tam nihil hic veræ munere laudis eget
Quo neq; Meccenas studiorum verior vnquam
Reddidit ætati Musica regna suæ
Qualibus ille opibus pulchrum deduxit ad Albim
Claram perpetua nobilitate Scholam?
Qua pietate auget? meritis quibus afficit auctam?
Cætera sunt Elegis arduiora meis
Quo tamen hunc qui te talem dedit ore canemus?
Non facit ad laudes illius vlla chelis
Ingenium maius, maioraq; plectra meretur
Qui potuit tantum te genuisse decus
Et quamuis nulli ille ducum virtute secundus
Cesserit, hoc meritum nomine maius habet
Diuinum in terris animum te namq; gerentem
Cum daret, orbi & opes diuitiasq; dedit
Cuius vt eximiæ flos indolis omnia spondet
Maxima, sic debet nō sine teste coli
Sed neq; te merita carituræ laude timebis
Et nec in obscuro fama futura tua est
In tua certatim surgent præconia, quorum
Nusica diuinum pectora numen habent
Maeste animo veteres duce te reuocabimus annos
Nunc suus ingenijs restituetur honos
Maeste iterum clarum specimen virtutis auitæ
Per te Castalidū purior vnda fluet
Tu modo sume animum te dignum principe, teque

a iij

Huius opus rarum temporis esse puta
Hoc facies si te non ad mediocria natum
Maxima sed partes noueris esse tuas
Sollicitet alios tituli sine rebus inanes
Ociaque in magnis non habitura locum
Diuitijs inhient illi & popularibus auris
Hos iuuat assiduis luxibus esse graues
Tu qui vere tuo tam flores indole laeta
Virtutem extends per benefacta tuam
Sic tibi praesentis sordescet nomina famae
Curaque venturae posteritatis erit
Ibis ab exemplis per splendida facta tuorum
Gloria Saxonicae contigit astra domus
Te patris & patruum regnum manet, vnus obibis
Qua vice par ipsis Regibus esse queas
Quam decet & pulchra est socia virtute potestas
Nemo amat immodicas quae timeantur opes
Quare age virtutem regnis adiunge paternis
Magnus ut es, magnos maximis inter eris
Iamque renascenti fer opem pietatis honori
Quod facis, haec res est principe digna viro
Quae pius instaurat fidei desueta Lutherus
Nomina sint animi pondera prima tui
Impuros cohibe liquidis a fontibus apros
Quid lacerat miseras pastor auarus oues?
Nunc tamen inuolucris, quibus haec non semper agemus
Non etiam tectis egimus ante notis
Vive diu princeps animo dignissime tali

Indolis & noli nō memor esse tuæ
Sic tua, nec dubito, seros durabit in annos
Extremo virtus non obitura die
Quod tibi præstabunt per amantes talia Musas
Qui nunc Pieridum cumque fouentur aquis
Quos inter numero si me dignaberis vllō
Inuictum numeris experiere, Vale,



IN MORTEM DIVI FRIDERICI
PRINCIPIS ELECTORIS EPI
CEDION EOBANI
HESSI,

SI qua prius iusti fuit vnquam causa doloris
Nunc Elegi moestum nomen habere decet
Pieridum chorus omnis ades, laurūq; virentē
Ponite, lugentes non decet iste color
Cingite ferali funebria iusta cupresso
Conueniens vestris luctibus illa fuit
Nunc cytharæ sileant, nunc barbitos omnis abesto
Nunc lachrymæ fiant quod fuit ante melos
Cur ita? nam fato cecidit percussus acerbo
Qui vobis requiem temporibusq; dedit
Qui nisi qua decuit talem virtute stetisset
Vester in obscura sorde iaceret honor
Nunc vobis decus est & vita relicta per illum
Quicquid adhuc vitæ est vos penes ille dedit
Qui vos Saxonicum confidere iussit ad Albim
Gloria Musarum dux Fridericus erat
Hunc igitur fato non lugeat omnis ademptum
Qui chorus Aonidum regna beata colit?
Nam si facta canunt alijs scelerata poetæ
Gestaq; sanguinea martia bella manu
Dicite Germanæ iuuenes clarissima famæ
Nomina, cur pauci tam bona facta canunt?
An quia Pierides sordent hoc tempore Musæ?

Lecta quæ iam vatum Carmina nemo probat?
 An quia quæ viuæ virtuti fama maligna est
 Pulchrior a fera posteritate venit
 Quicquid id est, tua fama Ducum clarissime viuet
 Dum tuus instabiles Albis habebit aquas
 In tua nec deerunt faciles præconia linguæ
 Seu fauet hæc ætas siue futura tibi
 Nulla tuas laudes ætas, tua: nulla silebit
 parta tuis meritis nomina: posteritas
 Dum tamen heu lucris præsentia damna futuris
 Solamur: bona spes victa dolore iacet
 Illum nempe premit duro nox ferrea somno
 Quo duce pax studijs floruit aucta bonis
 Qui sicut placido imperio data sceptrâ regebat
 Sic cultu superum relligiosus erat
 Cunctis fati metui posset malebat amari
 Et solidas illis artibus auxit opes
 Quod si lege aliqua possent fera fata morari
 Hic vere dignus ne moreretur erat
 Huius enim veras si pergâ dicere laudes
 Diuorum meritis dixeris esse parem
 Exiit Alcides varijs sua tempora monstris
 Monstra vigil noster ne parerentur erat
 Et prohibere prior laus est quam tollere pestem
 Tutior est quisquis damna futura videt
 Vidit, & ipse suo cauit prudenter honori
 Ne qua lues posset, ne quis obesse furor
 Si qua minabantur subeundum bella laborem

b



Ingenio pacem semper amante fuit
Cūq; alijs pereat collecta pecunia bello
Condidit hic isto munere pacis opem
Multis parta domi per plurima vulnera res est
Semper hic in media pace opulentus erat
Quasq; suis longa, plus quam sibi, pace parabat
Non aliquo luxu dilapidabat opes
Publica curabat priuato commoda censu
Cuius plura etiam nūc monumenta manent
Nam quæ cincta vides ingentibus oppida vallis
Plurima, munifica Condidit ille manu
Molibus extractæ tot pulchræ immanibus arces
Ut fierent largis sumptibus ille dedit
Palladium qua laude domū suadarit ad Albim
Vtraq; iam notum Regia solis habet
Quid loquar ingenuas quo pectore fouerit artes
Et quibus has esset solus amare labor?
Huius enim fessæ requierunt numine Musæ
Hoc duce Phocæicas vexerat Albis aquas
Nunc iacet ille tamen, Nunc illi lumine casso
Fundimus heu querula carmen inane lyra
Carminem nec Manes, nec numina surda mouemus
Quæ nūc sub terris illius ossa premunt
At potuit manes potuit fera monstra mouere
Cui frustra coniunx reddita pulchra viro est
Inuida nos etiam si flectere fata queamus
Relligio est isthac sollicitare deum
Certa stat, & nullis precibus mutata voluntas

Arbitrio fatum contrahit omne suo
 Heu tamen immites crudelia numina parcae
 Quantū erat hic auidas non habuisse manus?
 Si decus hoc terris fuit inuidisse voluptas
 Quod scelus Aonidas commersuisse putem?
 Quas, quo dura viri rapuerūt tempore fata
 Monte sub obscuro delituisse ferūt
 Tum quoque vocalis Cytharæ moderator Apollo
 Conscidit irata plectra lyramque manu
 Atque ita, Quo cantus ultra? Quo carmina Musæ?
 Non est conueniens tristibus vlla Chelis
 Ire libet sineque alios inuisere, quando
 Quas prius, Aonias non vehit Albis aquas
 Sic ait & radios conatum auertere, Quædam
 De grege Musarum quæ prohiberet erat
 phœbe mane, non totus obit quem quæris ademptū
 Parte etenim superest sed meliore sui
 Pulchra etiam moriens nobis monumenta reliquit
 Donaque virtutis non moritura suæ
 Scilicet egregium magno cum Fratre Nepotem
 Quorum contenta est numine nostra salus
 Tale quid audierat fluxitque serenior Albis
 Quam prius, ad sacræ proxima tecta Scholæ
 Magne vale Friderice, Ducum decus, istaque coelo
 Accipe, quæ tumulo tristia dona damus
 Qui te crudeli fato deflemus ademptum
 Qua licet, & tristes soluimus inferias
 Hic vbi flauentes exæstuat Albis arenas

b ij

Palladiæq; recens alluit vrbis opus
Spargimus hic frustra tumultū redolentibus herbis
Carminē signantes marmora celsa breui
Hac situs exigua Dux est Fridericus in vrna
Quem sua non totū Teutona cœpit humus
Hoc duce depositis Germania floruit armis
Et tenuit vires vtraq; Roma suas,

IN MORTEM GVILIELMI NESENI
qui in traiectu Albis fluij perijt Epicedion
per Eoba, Hefsum.

ARgo ego sum lacrymis natus vatesq; q̄relis
Semper & in luctus apta Thalia mihi est?
Vix modo defleram Frederici funera magni
Hic finis querulæ debuit esse lyræ
Nunc quia quam nollem causa est noua facta dolendi
Ipse locum certe debet habere dolor
Et miseris addit quædam solatia luctus
Fata vbi non possis vincere, flere iuuat
Sed mihi cantandus non hoc Nesene fuisti
Florida sed virtus quo solet ore cani
Et modo virtutū florebas diuite cultu
Et fuit ingenij copia plena tui
Iam tua Palladias clarissima fama per artes
Vtraq; iam fuerat cognita lingua tibi

Quid memorem sacri spatiosa volumina Iuris
 Ingenio longe facta minora tuo?
 Omnia diuinæ tenuisti oracula legis
 Heu nihil ignotum nil superasse tibi
 Quam subito indigna flos concidit iste ruina
 Et veris medias aruit inter opes
 Nil tibi mellifluæ comis facundia linguæ
 Profuit aut castis gratia plena iocis
 Quid iuuat humanis etiam nunc fidere rebus
 Quas tam non stabiles quælibet aura mouet
 Iam bene compositis potuisti viuere curis
 Aetatis firmum iam tibi robur erat
 Vix iam transieras sexti confinia lustri
 Et poteras animi dotibus esse senex
 Cum tibi non æquo currentibus ordine fatis
 Rupit fatalem de tribus vna colum
 Sed fuit hoc virgens & inuitabile fatum
 Nec licuit fixum transiisse diem
 Non tali miseram clausisses funere vitam
 Parte aliqua leuior nostra querela foret
 Languida composito iacuissent membra grabato
 Clausissent patriæ lumina fessa manus
 Fortius hunc tantum poteramus ferre dolorem
 Nunc luctus ratio non habet ista modum
 Optima materiam fati tibi terra negabat
 Tam sacrum timuit lædere flamma caput
 Innocuo facilem traxisses aere vitam
 Principia hæc viuens per tria tutus cras

Quo caderes medijs fatum te inuenit in vndis
Heu quantum scelere hoc factus es Albi nocens
Iam tua Germanū clarissima fama per orbem
Floruit, & celebri nomine notus eras
Errabant faciles circum tua littora Musæ
Sensit præsentès vtracq; ripa deos
Cum miser ipse tuum ceu foedaturus honorem
Crudeli innocuum subruis amne caput
Sæue Amnis faciles iam non habiture Camænas
Sæuiat admisso Thetios vnda tibi
Terra tibi cursum neget implacata secundum
Saxa per & scopulos puluere mixtus eas
Et scelus exosi fugiant tua flumina pisces
Fontis adhuc manans areat vnda tui
Serpentes habitent in te sæuiq; dracones
potent quadrupedum flumine nulla tuo
Sed quid opus iusto nimis indulgisse dolori?
Deuouisse tuum quid iuuat Albi caput?
Nectibi forte placent nostræ Nese ne querelæ
Ridenti fatuæ Carmina vana lyræ
Nos tamen ista tuo quæ debebamus honori
Carmina funebrem soluimus ante rogam
Quæ tua lugentes dictant ad busta Camenæ
Quam cuperent viuo persoluisse tibi
Læta tibi in numerum cecinissent Carmina diuæ
Quæ nunc inuito pectore mœsta fluunt
Heu dolor immitis quæ tanta potentia fati
Quam nulli placidas Mors habet atra manus

Omnia demetitis non tam mala numina parcae
 Si ratio vobis æquior vlla foret
Nunc sine delectu, temere, & discrimine nullo
 Vos iuuat humanum diripuisse genus
 Si tantum senio præ mortua membra petatis
 Quis putet iniustas vos habuisse manus?
 Parcere vos decuit viridi florentibus æuo
 Vtilis hæc ætas quam violastis erat
 Dissimilis rerum facies & iniqua deum lex
 Tempore quam constant optima quæq; breui
 Tot superant pestes hominum vitæque tyranni
 Quos melius vitam non habuisse fuit
 Vnica naturæ blande arridentis imago
 Concidis heu patriæ Spes Guilielme tuæ
 Tempora venturæ tetigisses prima senectæ
 Forte deo poteras non reuente mori
 Iam nunc inuidia est, quis enim neget? ista deorum
 Tam pulchrum terris eripuisse decus
 Neglexisse putem solitas vaga sidera leges
 Illa, quæ facta est vltima, luce, tibi
 Illa Sol latuit, latuit Saturnius hora
 Aurea confuso palluit ore Venus
 Quæq; tibi facilem nascenti depluit auram
 Tempore fatali Diua maligna fuit
 Dum queror ac mecum doleat, nisi falsa notauī,
 Mota repercussum reddidit aura sonum
 Qui nunc iusta tuo funebria soluis amico
 Causa quidem fletus officiosa tui est

Sed frustra, Quid enim vanas iterare querelas
Orphea sublatae proderit Euridicis
Ille quidem gelidi magnis in vallibus Hemi
Euridicen querula concinuit vsque cheli
Sylua feræq; stupent, mentes & saxa sequuntur
Miratus cursum comprimis Hebre tuum
Non tamen audit atrox deuoti Regia ditis
Ista stat ad cunctas ianua surda preces
Quin igitur fallaci animum macerare querela
Desinis, & luctus discis habere modum
Nec subit humanæ fortis meminisse, quod huius
Vsque adeo instabile est conditionis opus
Nulli certus adest vitæ status, omnibus horis
Fimus & occidimus, nascimur & morimur
Quid facis inuidiam superis? Spes nulla reuerti
Quem semel in stygio vexerit anne Charon
Mortua tam stultum est deffere cadauera, quam si
Te doleas fieri non potuisse deum
Adde modum lachrymis, stultum est sine fine dolere
Pene erat hoc vita non abeunte mori
Quem gemis ille tuus supera Nefenis in aula
Nectara Cum diuis pascit & Ambrosiam
Ille tuas lachrymas & curas ridet inanes
Nec volet hoc iterum corpore posse tegi
Liber enim supra stellatum spiritus orbem
Ambulat, & pedibus nubila regna premit
Tu tamen extinctum frustra gemis, & tua stulta est
Quod causa ex omni parte querela caret

Nam si sic cœli flores in parte receptos
 Quid facias illis quos mala regna premunt
 Et si omnis ratio stulta est & friuola luctus
 Attamen inscitiae plus habet iste dolor
 Sicut, & tenues cum voce recessit in auras
 Seu dea, seu visum dicere quicquid erat
 Ergo ego siccabam lachrymas, posuicq; dolorem
 Si quicquam positum, quod manet, esse potest
 Hæc tamen immodico dextra famulante dolori
 Albidos ad ripam verba legenda dedi
 Cum miser ingrato Neseus in amne periret
 Talibus hunc Nymphas ingemuisse ferunt
 Heu scelus hanc miseram decuit spectare ruinam
 Albi dehinc faciles non habiture deos
 Nam quo talem animam, licet inficieris, eodem
 Innumeras laudum crimine perdis opes,

EX IDYLLIIS DE CONTEMPTU LI
 terarum ad Philippum Melanchthonem
 nem Querela.

M Vsarꝫ phœbiciꝫ: potēs & amice Melāchthon
 Cui mea præcipuam debent Idyllia famam
 Dic age quæ ratio tristes hoc tēpore Musas
 Opprimit, & studijs adimit, quem debet, honorem?
 An quia bellipotens circumsonat vndiq; Mauors

Funestisq; replet confusum cladibus orbem?
An quia nulla datur librorum copia, & omnes
Ditia præcipuas includunt scrinia chartas?
Haud quaquam, Nec enim quantumuis sæuiat armis
Orbis, & infano concurrant regna tumultu
Illa bonis vnquam studijs infligere clades
Vulnera tanta potest, quantis nunc illa laborant
Quin facile emergant iterum pressæq; resurgant
Pierides, referantq; caput lucemq; reuisant
Nam neq; scripta alio captiua feruntur, vt olim
Barbara cum Latium sæuissent arma per orbem
Nec, quamuis diffusa per omnes bibliothecas
Hostica multiplices pascant incendia chartas
Vel minimum nocuisse queant, tot vbiq; premendi
Arte superstibus, qua si prior vsa fuisset
Nostra etiam libris frueretur pluribus ætas
Quos male nunc petimus, votoq; optamus inani
Nunc vero postquam quæ de tot milibus extant
Copia prostituit, vilescunt optima, Sicut
Semper abundantes pariunt fastidia mensæ
Præcipue postquam quo sunt peiora fauorem
Maiorem inuenere, nec vtile creditur esse
Quicquid præcipuum est, & eo contemptior omnis
Musarum chorus, & linguarum gloria, postquam
Omnia vulgares implerunt scrinia chartæ
Et nisi scripta fere vernacula nulla leguntur
Proh superi, potuit ne tibi Germania, maius
Dedecus inferri? potuit ne atrocior hostis

Grassari, sine sc̄p̄ tuos incurrere, & vltra
 Perdere: cum satis hac infœlix perdita clade
 Concideris: neq̄ tu credis nunc vera monenti
 Tempus erit quo stultitiæ te ignobilis huius
 Pœniteat pudeatq̄, Sed hoc, vt cætera, sero
 Agnosces, cum iam tua friuola facta dolebis
 Quam velles habuisse animum nullius egentem
 Lucis, vt in tenebris mersam te stulta videbis
 Sed mihi nec ratio fuit istius vlla querelæ
 Proposita, & frustra nebulas contundere plagis
 At iacet Interea frigetq̄ inuestis Apollo
 Longaq̄ proscriptæ peragunt Ieiunia Musæ
 Quæ ratio? quæ causa subest: age doctè Melanchthon
 Expediam, propiusq̄ sequar vestigia tanti
 Erroris, quo non fuit vnquam foedior vllus
 Quam fuerat melius, vel non mouisse prophano
 Bella Sophistarum populo, vel mota sub æqua
 Composuisse, bonaq̄ futura in foedera pace
 Arbitrio victoris, vt in sua barbara victis
 Regna relegatis, studiorum victor in Arce
 Regnaret populus, sicut iam ceperat omni
 Conditione, Sed in partes vbi turba recepta est
 Nil præter patrium sapiens, atq̄ istius expers
 Militiæ, confusa retro victoria cessit
 Amissumq̄ decus, partum prius hoste subactò
 Ignauis siquidem cum vincere posse docentur
 Ipsos victores etiam contemnere discunt
 Sed nimios ne forte odiosa methaphora nodos

Implicitet, obscuris positis manifesta loquemur
Quis nescit patribus nostris quam nulla bonorum
Constiterit ratio studiorum, vilibus autem
Omnia plena Scholis, ignobilis anxia vitæ
Tempora perdiderint Iuuenumq; Senumq;, nec vlli
Enostris curæ fuerit meliora sequendi?
Verum eadem stabili longo iam tempore ab usu
Pestis vt inualuit, Sic nuper decidit omni
Victa modo, nisi nos vti victricibus armis
Non voluiffemus, Nam sic rediere Latinæ
Et Graiæ splendore nouo sua tempora Musæ
Lustrantes, vt iam doctas spes esset Athenas
Huc migraturas, & magnæ nomina Rhomæ
Virgilioscq; viderentur magnoscq; daturæ
Meonidas, Demosthenas, & claros Ciceronas
Iamq; fere toto fatis Oriente relicto
Venit ad occiduas studiorum gloria partes
Bellipotens vt non tantum Germania, verum &
Gallia, & occiduo summota Britannia ponto
Et nostrum quæcūq; habitat gens sparsa per æquor
Barbariem exuerent, & culturæ munera linguæ
Certatim peterent, & lætarentur adeptis
Cum subito quo non alius vel inertior hostis
Vel crudelior emerfit, Musiscq; renatis
Eripuit redeuntem animam retroq; fugauit
Nuper inaudaces turba indoctissima Bardi
Audaces vero postquam nihil esse laborem
In studijs insumere opus, frustra q; per ipsas

Linguarum ambages duci Iuuenescq; Senescq;
 Res sacras per scripta dari vernacula vulgo
 Interea vanum & fallax opus esse Scholarum
 Persuasere animis rudibus, tum denicq; fastu
 Intumuisse nouo videas, dum coepta sequuntur
 Et cursu facili ex animo sententia caedit
 Protinus immodicis resonant clamoribus omnes
 Per nunc Inuidiae famulantia templa cathedrae
 Parcite deceptae per tot iam saecula mentes
 Perdere communis dulcissima pignora lecti
 Artibus insanis & amara forde Scholarum
 Quando quidem necq; proficiunt, neque lucra reportant
 Vlla, sibi quibus aut vobis succurrere possint
 Si sic res ferat, ac vt iam lucrentur, & ipsos
 Persarum Reges gazis ingentibus aequent
 Praecipitant animas, & in infima tartara mergunt
 Quae neque diuitijs, neque maiestate, nec vlla
 Quantumuis magna possunt ratione rependi
 Vt multum sapiant, omnis sapientia Mundi
 Exola est superis, vanas deus imputat artes
 Ingratis, & se contemni dedignatur
 Quo neque simplicius quicquam, nec amantius vsquam
 Purae rusticitatis, vt exemplo satis ipse reliquit
 Qui tales sibi tamque rudes elegit amicos
 Quare agite o animae ludibria plurima passae
 Talibus artificum nugis, vos, vestra voratum
 Comoda, deceptas aures praeccludere tandem
 Discite, quin potius vestros si forsan amatis

*Vere pura rusti-
 citas in hoc car-
 gae fofes her
 pedes*

Et natos nataſque, manu ſibi quære victum
Affueſcant facite, & connubia mutua diſcant
Hæc Deus inſtituit, ſuper hæc quæ ſunt, hominũ ſunt
Inſtrumenta, doli, fraudeſ, arteſque malorum
Hæc, & plura ſolent iſti per rura, per vrbes
Per fora, per delubra, quibus quia plurima falſis
Vera ferunt interque ferunt, multo ante paratam
Inuenere fidem, miſeræ nam talia plebi
Perſuaſiſſe adeo facile eſt de qualibus ipſi
Ingenuit natura odium, ſed praua & aberrans
Namq; nec eſt ſtudijs maior, nec iniquior hoſtis
Quam qui vel nequijt vel diſcere noluit arteis
Ingenuis tantum permiſſas mentibus olim
Non cuiuiſ, vt nunc, aſinorum de gregi feci
Qui cum propter inertem animum geniũq; malignũ
Naturamque ſatis firmæ rationis egentem
Ipſi victuræ poſſint nihil addere lucis
Nec ſua vel minimæ committere nomina laudi
Inuidia ardentes tenebras inducere certant
Atque adeo euincunt, vt poſtquam myſtica nuper
Dogmata ſimplicibus tradi ſunt cœpta loquelis
Sanctaque abuſuro myſteria prodita vulgo
Iamque doceretur cœlo gratiſſima tantum
Ruſtica ſimplicitas, popularis flamma fauoris
Eſſe rati tempusque ſuum, prædamque paratam
Inuaſere bonas arteſ caſtumque nitorem
Aonidum, nebulis obſcurauere nefandis
Neue laterẽ queant tanquam mala nomina, paſſim

Expandunt ceu signa sui victricia Martis
 Indomitumque fremunt, orbique extrema minantur
 Ni sapiat, meritumque decus victoribus addat
 Taliter inflati monstra ignauissima, paulo
 Ante breues Ranæ cœperunt esse Gigantes
 Ipsum excisuri vel ab irato Ioue coelum
 Sed lutei, strepituque, animati pectora vano
 Si quis in aduersos Alcides robora sumat
 Expediatque manum, Sicut iam dira minantur
 Istis excidia, & miseræ fata vltima clades
 Quem si forte diem nobis sperare relictum est
 Et votis optare licet, quod pectore toto
 Quisque bonus petit, hæc æqua mala mente feramus
 Interea, & lucris præsentia damna futuris
 Solemur, veniamque malis pacemque precemur
 A superis, Etenim nisi me præfagia fallunt
 Apparenscq; animum veri delusit imago
 Iamdudum pulsæ victricia Palladis arma
 Rursus honorato spectabimus ire triumpho
 Ignauæque duces captiuos militiæ
 Concutere edomitis hærentia vincula collis.

Impressum Nurenbergæ per Fridericum Peys-
 pus, Anno, M. D. XXVI.

Q 27 1848

Expansione cuiusque sui generis
Indominabilem hanc, obsequio
Nihilque, mentiumque deus
Tunc in hanc montem ignis
Ante breves Ranas copertur
Solum exalim vel ab isto
Sed, et spiritum, animam
Si quis in aduersos, A
Exortationem, in
Ista ecclesia, & n
Quoniam si forte dicit
Et vos, quare hanc
Quare hanc, per
Ista, & hanc, per
Sed, et spiritum, animam
A hanc, per
A hanc, per
Ista, & hanc, per
Rohus, per
Et, et, per
Contra, per

Tringit in Granaria

Impressum in
M.D.C.C.C.

nc

(X 220 6291)

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

16,2

QR. XVIII, 2.

T

Vc
1848



AD ILLVSTRISSIMVM PRIN-
cipem Ioannem Fridericum Ducem Saxoniae,
Elegia.

Epicedia duo.

In mortem Diui Friderici principis Electoris Du-
cem Saxoniae.

In Guilielmū Nefenum qui in traiectu Albis perijt,
Cur hoc tempore studia literarū tanto contemptu
habeantur, Idyllion ad Philippū Melanchthonem.

Authore Eobano Hefso.

Munichensis Bibliothecae
Augustae

Lectori.

Qui legis hæc, Si quis tamen hæc legis, esse putato
Sicut ab immodico pauca resecta penu
Vberiore fluet posthac tibi Copia cornu
Munera quæ timida vix dedit ista manu.

Noriberga 1526.

